DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII. FEBRVARII,

M. IOANNE GARBE, Doctore Medico, Præside.

An à primis generationis nostræ principiis vita longior? 940

VIS nostri opifex, vnius cum humore caloris societate conseruatur: hæc simul constant arcto nexu coniuncta: alter alterius adminiculo sustinetur, caloris alimentum humor; huius autem mutuò ille reparator existit. Viuentibus temperies frigida nulla, aut æqualis: nec extremæ senectutis frigus vitalis caloris robur potest superare. Par omnium conditio: si tabescat calor loco non difflabili conclusus; ita humor non aperto coarctatus loco putredine corripitur. Dum calor per ἔκλαμψιν ad certum vsque tempus inualescit, humoris aut spirituum substantiam non neges inclinare, lege in ipsis quàm in aliis partibus iniquiore. Recens natis plurimum, senibus exiguum inest humidum primigenium: his breuior ætas, quæ in illis futura eò diuturnior, quò caloris innati substantia vberior; ipsis tamen perpetuam, arte licèt medicâ, citra naturæ iniuriam nemo posset polliceri.

VITA caloris innati indesinenti actione peragitur, qui humore non aquoso, non quolibet, sed qui non facilè exsiccatur, quia lentus, pingui seruatur: hunc dum continet abundantiorem, tardiùs inarescit, modò rerum non naturalium vsus seruetur tempestiuus, & quod effluxerit, continenter reponatur alimentis, quæ sint εὔκρατα, εὔχυμα, εὔπεπτα, quorum materiam insitâ proprietate subigit alterando tota etiam partium substantia. E plantis diutiùs viuunt, quæ humidum copiosum, pingue, & lentum obtinent, vt resinosæ aqueis: ex animalibus, terrestria aquatilibus, sanguinea exanguibus viuaciora: ex hominibus minùs salaces, mares fœminis, graciles obesis, Meridionalibus Septemtrionales vtplurimùm diuturniores, & inter eos qui in vtero seriùs maturescunt. Potuerúntne prioris, potiori iure quàm huius seculi, parentes longâ senectute gloriari?

SEMINI originem referunt acceptam humidum primigenium & innatus cum spiritu calor; quod sensu simplex iudicatur, actu constat elementis se prioribus, igne & aquâ, ex quibus omnia. Illius materia sanguis superfluus, efformatur autem peculiari testium priuilegio, substantiâ crassum & spumans, colore album, naturâ aëreum, temperamento calidum humidum & virtute fœcundum, à copioso quem continet spiritu & calore, qui generationis nostræ primus author existit, cuius artifex calefaciendo, rarefaciendo, distribuendo opportunè in locos conceptûs materiam, architectatur sibi domicilium, & partes pro suo quasque munere effingit, quibus singulis debitam pro vsu impertitur temperiem: vt illæ ortum à semine, sic à sanguine habent vt alantur & crescant, vbi variis circuitibus diuturnâque morâ in illo ductu quem natura efformauit longiore, alterationem subierit.

TESTES innatâ quâ valent proprietate semen producunt iners, miniméque fœcundum, nisi ex toto magna vbertate spiritus influat, qui vt vnus tanquam primum animæ instrumentum omnes corporis actiones, in ventriculo chylosim, in hepate hæmatosim, singulis in partibus assimilationem, vitales in corde, animales in cerebro promouet; ita in vtero omnium fœtus partium conformationem ipsemet γεννητὴς operatur, quas postea vt à se natas amat, & radicitus inhærens in longiorem vitam (si copiosus) conseruat: opus enim totum à morborum incursibus potenter vindicat externis aut domesticis iniuriis minùs obnoxium, alimenta bellè concoquit, excrementa facilè deturbat, ad quorum extra corpus propulsionem, quùm institutæ sint viæ, si importunè retineantur, contrariorum vicem subeunt, à quibus succedunt morbi.

MAXIMVM habet momentum ad egregias corporis & animi dotes parentum semen. Fortes creantur fortibus, nec parùm felices benè nati. Ad fœtus conceptionem necessaria maris & feminæ distinctio. Multos raro, aliquando geminos, frequentissimè vnicum fœtum, nunquam monstrum, nec citra maris consortium, molam: at naturæ lege semper similem generanti prolem concipit femina, cuius speciem materia seminis, temperies sexum designat: ad huius longæuæ susceptionem requiritur vbertas seminis calidi & fœcundi, à parentibus sanis & robustis, ætatis maturæ & constantis, probâ victus lege vtentibus, qui raro venerem colant, & pari corporis animíque contentione ad metam properent. Amborum genitale semen quò abundantius atque calidius, eò vitæ fœlicitas & salubritas maior, & inde certissima vitæ longioris causa.

Ergo à primis generationis nostræ principiis vita longior?

Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS LE NOIR Parisiensis. A. R. S. H. M. DC. XLV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Victor Pallu.
M. Georgius Ioudouyn.
M. Hugo Chasles.

M. Nicolaus Heliot.
M. Ioannes Vacherot.
M. Claudius Seguin, Reginæ Christ. Medicus Prim. & Regis Ordin.

M. Franciscus Mandat.
M. Claudius Lienard.
M. Renatus Moreau, Professor Regius.